

158.
Cat. bibl. jmbL ~~15a~~

3.6

AD
AVDIENDAS ORATIONES
MEMORIAE
SYLVERSTAINIANAE

SACRAS

D. XXIX. APRIL. M DCC LXXXV.

IN GYMNASIO HABENDAS

INVITAT

JOANNES FRIDERICVS NEVMANNVS

GYMN. CORRECT.

PROLVSIONIS LOCO PROPONITVR

DE

BIBLIOTHECA MILICHIANA

GYMN. AVG. GORL. PVBLICA

REPETITARVM COMMENTATIONVM

PARTIC. II.

GORLICII,
EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.



In bibliothecæ cœnobialis cum Milichiana nostra ho-
die combinatæ historia enarranda, quicquid certo
sciri poterat & tradi, id diligenter collegit atque
exposuit sollertissimus rerum Lusatricarum Scrutator

Christianus Knauth, Past. Friedersd. nuper pie defunctus (*). Qui-
bus quidem etsi nihil nunc addere possim, arbitror tamen mearum
partium esse, illorum summam quam brevissime huic loco inserere.

Qui inde a Seculo XIII. hoc monasterium possederunt fratres
S. Francisci minores, paulatim aliqua supellectile libraria instructi,
eam aliquandiu utcunque servatam anno demum 1372. in novo & pe-
culiari loco condiderunt, qui hodie discipulis nostris Vtæ classis in-
servit. Sed vel ex ipso illorum temporum genio, vel ex bonorum fra-
trum regula & paupertate facile intelligitur, eam fuisse nec valde co-
piosam, nec satis exquisitam. Aucta tamen fuit cum ipsorum stu-
dio & opera in describendis libris, tum aliorum hominum munifi-
centia; cuius tria potissimum extant apud Knauthium exempla: Au-
gustini Hirsberg anno 1483 ex ordine Senatorio: Gregorii Enderman-
ni, fratrum hospitis & sodalis, & Georgii Schwartzii Sacerdotis ad
SS. Petri & Pauli 1546. qui quicquid librorum haberet, fratribus his
testamento legavit. Quo factum est, ut cum ante hos ducentos &
viginti annos hoc ipsorum cœnobium ultro deferretur ad Senatum
hujus urbis, extaret in eo librorum inspitor. & impressorum appa-
ratus, qualem ferebat illa ætas, ad numerum fere ducentorum aut tre-
centorum vel theologici generis, vel historici, vel illius, quod spe-
clarerat ad philosophiam scholasticam. Is igitur apparatus, condito
Gymnasio 1565. in illud conclave prope ædem S. Trinit., quod turri
est ex adverso, translatus, ut discerneretur ab ea librorum copia,
quæ forte ibidem postea parari posset, appellari solebat bibliotheca

a 2

mona-

(*) In libello germ. Histor. Nachricht von den Bibliotheken in Görlig ed. 1737. 4to in-
de a pag. 14 — 22.

monasterialis sive antiqua. Namque Senatus hujus urbis cura & Patronorum munificentia, ad usum Gymnasii, paulatim, superiori maxime seculo, facta est satis magna librorum omnis generis accessio, qui, tradita Gymn. Rectoribus cura, eodem in loco adservarentur, essentque iam illorum temporum genio & doctrinæ rationi, quæ tum obtinebat, magis accommodati. Maxime tamen excelluit Danielis Staudii, J. U. D. qui diem obiit 1615. liberalitas, legatis quingentis amplius libris, & donum Senatus amplissimi, qui ante hos centum fere, & quod excurrit, annos, Eliæ Dieterici, viri consularis, a. 1676. mortui, supellectilem librariam, sibi traditam, eodem transferendam curavit. Quibus exemplis commoti alii etiam, qui litteras amarent superiori seculo, quales hæc urbs omni tempore habuit, & hodie habet, omnis generis & ordinis quam plurimos, hanc bibliothecam libris subinde donandis augendam putarunt; in quibus vel imprimis commemorari meretur Jo. Guil. Gehlerus, vir consularis, qui ei dono dedit nitidissimum Luciani codicem msptum. His igitur incrementis usa hæc bibliotheca, ex tam parvo initio tandem eo pervenit, ut ante illam cum Milichiana coniunctionem duo fere librorum millia complecteretur, vel illius antiquioris generis e peculio fratrum min. S. Francisci, vel hujus recentioris, quod postea paratum fuit variis accessionibus. Nec illud etiam omitti debet ejus ornamentum, quod est in imaginibus omnium hujus Gymnasii Rectorum pictis, iisque satis magnis, nec male elaboratis; quæquidem per hos ipsos dies, e pulvere diuturno protractæ & deterse, translatæ fuerunt in bibliothecam Milichianam, eoque in loco collocatæ, quem hæc, de qua loquimur, bibliotheca propediem occupatura est.

Hæc igitur Knauthium secuti afferenda putavimus pro consilii ratione, omissis ijs, quæ vel huc non pertinent, vel alio tempore & pluribus a nobis dicentur.

Nostrum nunc est, redire ad propositum & initium facere enarrandi potiora bibliothecæ nostræ Milichianæ ornamenta e genere librorum. Nam cum Geisleri V. C. opera iam versata sit in recensendis msptis; non incommodè me facturum esse putavi, si eos mihi nunc primum sumerem indicandos, qui extant apud nos impressi, ex illa ætate, quæ haud ita longe abeisset a primis post inventam artem typographicam temporibus, ad duo fere priora decennia seculi sexti & decimi progressurus; cujus generis eti reperiuntur nonnulli in Milichianis, multo tamen plures sunt ex illa supellectile monasteriali

riali antiqua: quos nunc, quia unius iam sunt ejusdemque bibliothecæ, proferemus, omisso & neglecto peculii indicio, servato tamen, quantum id fieri poterit, temporis ordine, quo fuerunt excusi atque in lucem editi.

Sed cum non dubitem, fore multos, qui hoc librorum antiquorum genere parum delectentur, eosque habeant pro vilibus scrutis & mercibus obsoletis; equidem nolim, qui ita iudicent, vituperare & sacrilegii quasi reos condemnare. Nam, si excipias librorum sacrorum V. & N. T., aut scriptorum græcorum & romanorum editiones principes, e quibus, ad Criticorum artem, superiori & hac nostra ætate plurimum subsidii paratum fuit, & adhuc paratur tex-tus integritati restituendæ, eas igitur editiones si excipias, reliqua librorum farrago, quæ prodiit primis ab inventa arte typographica temporibus, & referri solet inter ejus artis primitias, plerumque refert tristissimam illius ætatis imaginem in monumentis superstitionis & inficiæ condendis.

Verum hæc est temporum culpa non hominum ipsorum & operum. Nec propterea ridendi sunt, qui hodie antiqua librorum exempla studiose exquirunt undique, & colligunt. Nam profecto, si quis ea velit diligentius contemplari, & de talibus rebus æque iudicare, facile poterit eo adduci, ut fateatur, in iis utique extare præclarum ingenii humani magna molientis documentum, & conatus maximopere laudandos, nec prorsus infelices in ipsa arte successus. Certe iuvat contemplari codices nonnunquam prodigiosæ molis, chartarum elegantia, soliditate & nitore præstantes, magna colorum varietate in litteris initialibus pictis, auratis, aliisque imaginibus & ornamentis, artificiosa scriptoris aut veteris librarii manu adjectis, instar veterum msptorum instructos: & tum inter contemplandum perpendere & cogitare miram horum librorum iortem, qui per tria amplius secula temporum fata & casus pertulerunt, donec tineis & vermibus erepti secure potuerint hodie in aliquo bibliothecæ angulo latere, & ab eruditæ antiquitatis studiosis subinde revocari. Equidem, cum per hos ipsos dies, pro consilii ratione, versarer in conquirendis & comportandis hujus generis codicibus nonnullis Mili-chianis & maxime monasterialibus, haberemque Hertzschanskium, collegam meum æstumatissimum, ejus rei adjutorem, memini eum audire dicentem, ante plures annos virum generosissimum J. C. ab Heineke, fisci sacri interioris consiliarium, cum forte itineris causa

in hac urbe esset, secum perlustrasse id librorum genus, & illum, pro summo artis & antiquitatis studio, scientia & usu, cuius extant præclara in libris Heinekianis documenta, cupide vidisse hunc apparatus atque optasse, ut sibi liceret eum diutius contemplari & diligenter excutere, quod hie serventur primitiarum typographicarum & antiquæ artis reliquiæ haud contemnendæ, & sic in eo ipso sermone notasse quædam in pugillaribus, figuram forte signi impressorii, sive, ut prisci solebant dicere, typographi alicujus signetum.

Quo magis doleo, me non ea instructum esse antiquioris rarioris que rei librariæ notitia, quæ requiritur in eo homine, qui de talibus librorum exemplis velit exponere, & ea aliis cum fructu indicare. Nec id ego suscepissim, nisi me hoc debere Milichianæ nostræ bibliothecæ existimassem, sperans, fore passim forte aliquem hujuscemodi reliquiarum amatorem, qui putet satius esse, eas ut cunque indicari, quam diutius ignorari. Et omnino dicendum est, hoc rei librariæ antiquioris genus & studium multis adhuc laborare difficultatibus. Evidem, cum non plane destitutus essem iis intelligentiæ subsidiis, quæ peti solent ex annalibus typographicis Maittarii aliorumque & e commentariis & indicibus eorum, qui libros antiquiores & rariores exposuerunt; tamen, vel aliis laboribus impeditus, vel investigandi sollertia & usu parum exercitatus, in hoc indice confiendo operose magis & diligenter versatus sum, quam scienter & perite.

Sed satis de consilii ratione, & nimium fortasse quam erat necesse, quod præstat rem potius dare, uti eam habeas & dare possis, quam expectantem longa præfatione defatigare.

Primum igitur prodeant majoris & maximæ formæ ii libri, qui nec annum, nec locum habent 1) Antiquissimæ bibliorum versionis germanicæ exemplum fol. max., de quo accurate diligenterque exposuit vir plurimum reverendus G. C. Giese, bibliorum antiquorum & omnis rei librariæ veteris amator peritissimus, idemque conqueritor felicissimus, in scripto gratulatorio, ante hos viginti annos edito, & in solennibus secularibus Gymn. Gorl. Magistris dicato, ubi clare demonstrat, illud prodiisse ex officina Fustina-Schoyfheriana, referendumque esse ad annum 1462. 2) Biblia latina, fol. maj. duob. Tom. comprehensa, quorum I. finitur in Ps., alter habet reliqua, litterarum forma perantiqua & prorsus simili illi, quæ est in Mspt. seculorum typographiam proxime antecedentium. Nisi tribuenda sint eidem officinæ, possint

possint fortasse haberi exemplum illius editionis, quæ Maittario commemo-
ratur Vol. I. p. 110. ad annum 1475. habent picturas satis elegantes, rubra libro-
rum & articulorum, litteras initiales auratas, & chartas præstantissimas. 3) Sermones discipuli de tempore & de sanctis, cum promptuario exemplorum,
fol. maj. Cum hujus operis commemoorentur editiones ad ann. 1480. & 1492.
nostrum exemplum, quod annum non habet, illis videtur esse antiquius. Ha-
bet ornamenta consueta, in marginibus sæpe occurrit manus Milichii patris.
4) Catholicon Joh. de Janua, duob. Tom. fol. max. opus ingens, & magnæ
molis, quod commendatur magis externa specie, quæ sane nitet in hoc exem-
plo, quam pretio interno. Auctor Joh. de Janua, frater ordinis prædicatorum, il-
lud opus absolvit, a. 1286., egitque quinque partibus de orthographia, de ac-
centu s. prosodia, de etymol. & syntaxi, de vitiis & figuris, (haud raro satis
inepte.) 5) Hugonis de Prato, frat. ord. prædic. Sermones dominicales super
evangelia & epistolas per totum annum. In calce legitur: Anno 1479. ru-
bricatus est præsens liber. 6) Questiones acutissime excellentissimi sacre
theol. professoris ordin. min. Antonii Andreæ, super XII. libros metaphysice
textum luculentissime resolventes. Extat in volumine Mspt. 7) Interroga-
tiones s. confessionale per vener. fratr. Bartholomeum de Chaimis de Medio-
lano, ord. min., compositum in loco Sancte Marie de angelis apud Mediola-
num & distinguitur in IV. partes. 8) Opus originale Ruperti, Abbatis Tui-
ciensis de victoria verbi Dei in 13. libros divisum, impressum per Anthon. Sorg,
civem Augustensem a. domini 1487. adhæret: Jacobi Sprenger Malleus male-
ficularum sine l. & a. In fronte est apologia auctoris; in fine legitur: sit laus
Deo, exterminium heresis. pax vivis. requies externa defunctis. 9) Aggre-
gator Paduanus de medicinis simplicibus. Manus antiqua scripsit in fronte
libri: Opus magistri Jacobi Paduani, completum A. D. MCCC. octuagesimo
quinto, & vocatur liber iste & intitulatur &c. ut supra. 10) Fortalicium fidei
s. de armatura omnium fidelium cum registro. Liber videtur esse perantiquus,
rubricatus & passim imaginibus ornatus. In capite sic est: Incipit prohe-
mum, in quo divine laudes annotantur & mittitur querela ad tronum maje-
statis dei, & ponitur intentio scribentis. Turris fortitudinis a facie inimi-
ci &c. — Auctor sub finem præfationis erumpit in gemitus & querelas hoc
modo: Sanguineos fontes lacrimarum emittit cor meum, quia neminem vi-
deo consolatorem gementium, & fere neminem Zelatorem tue fidei catholice,
specialiter in hac misera hispania, in qua, sicuti in fine mundi sita est, sic in
ea congregate sunt omnes feces tuorum inimicorum. Inimicus est hereticus,
inimicus Judeus, inimicus Sarracenus, inimicus dyabolus — & premittitur
figura

figura pugne, in qua fortalicum quinque turrium cum ejus ornatu & armatu-
 ra — — heretici fodentes sive per invium fortalicum perforantes — Ju-
 dei signati, velati & catenis vinculati &c. (hæc figura sane est admodum ru-
 dis & duriuscula.) 11) Pharetra doctorum. In fronte legitur: Auctoritates
 & dicta pulcherrima sanctorum doctorum & aliorum philos. ac poetar. fide
 dignorum secundum ord. alph.&c. quod alio nomine pharetra doctorum nun-
 cupatur. 12) Malogranatum (liber est Theologico - dogmaticus & moralis.)
 13) Mammetraetus (genus vocabularii biblici & Theologici etymologico-gram-
 maticum & utique satis ineptum.) Qui iam sequuntur annum habent & lo-
 cum. 14) Cardinalis Sancti Petri ad vincula de sanguine Christi, impressum
 Nurenberge per Frider. Creussner 1474. adhæret: Ejusd. ad Paulum II. Tra-
 ctatus de dei potentia, novem foliis. it. Pauli Horosii libri VII. adversum
 Christiani nominis querulos per Joh. Schüssler, August. urbis concivem 1471.
 15) Thomæ Aquinatis questiones disputate luculenterque disserte per Joh.
 Kœlhof de Lubeck, Colonie incolam 1471. liber non rubricatus est. 16) Vin-
 centii Belvacensis speculum 1) doctrinale 2) historiale, per Joh. Mentelin. 3)
 naturale 4) morale 1473. 8 Tomis. fol. max. Exemplum sane splendidum
 & omnibus ornamentis librariis præditum. Auctor vixit seculo XIII. Opus
 me detinuit aliquandiu & diutius, quam res meæ & consilii rationes pateren-
 tur. Est genus encyclopædiæ, quod habet excerpta ex multis aliis libris an-
 tiquis, iisque haud raro nondum editis, qui aut perierunt postea, aut hodie
 fortasse latent in aliquo angulo. In paucis illius ætatis hoc opus utique dig-
 num est, quod paulo curiosius inspiciatur ob veterum loca passim occurrentia.
 17) Berthorii liber reductorius moralis Biblie, fol. max. In calce legitur: Pa-
 rysiis correctus & iam cyrographata ex scriptura litteras reductas ad pressas,
 diligentie cure, advertentia & puncture per C. W. civem Argentinoensem 1743.
 — — in nativitatis vigilia gloriosissime theotocos nostre simul & christotocos
 virginis Marie — impressores simulque coadjutores humiliter petunt, ut om-
 nes per eam (gratiam fluentem) quæ Canna est gratie, ab omnipotente nan-
 scientes salvemur. amen. Laus deo ejusque matri Marie. (Forma litter.
 gothica. liber rubricatus est per vet. Test. & in N. T. per aliquot folia, reli-
 qua carent rubris, litteris initialib. aliisque similibus ornamentis. 18) Rayne-
 ri de Pisis summa s. Pantheologia, duob. Tom. fol. max. opus ingentis molis,
 habet litteras initiales elegantissime pictas & auratas aliaque hujus generis or-
 namenta. Est genus Lexici realis biblici. In fine legitur: per providum &
 magne industrie virum, impressorie artis magistrum Anthon. Coberger, civem
 Nurinberg. 1474. 19) Summa notabilissima de planctu ecclesiaz. Ulm. per
 Joh.

Joh. Zeiner de Rütingen 1474. Auctor operis est Alvarus Pelagius, Hispanus, Papæ Johannis XXII. pœnitentiarius. (Ex similitudine argumenti si conjecturæ locus sit, ego facile inclinaverim eo, ut putem illud Fortalicum de quo supra n. 10. diximus, auctorem habere hunc ipsum de quo iam loquimur h. l.) Is igitur hunc librum illi Pontifici maximo humillime & submississime dedicavit, de qua dedicatione plura dicuntur in fine libri. 20) Aurelii Augustini Episc. de Trinitate. In fine rubrum habet: anno domini 1474. 2patus est liber de trinitate. habet picturas. adhærent in Mspto: flores Augustini &c. collecti. 21) Speculum aureum decem præceptorum dei, Fratris Henr. de Herp, ordin. min. de observantia per modum sermonum ad instructionem tam profeforum, quam prædicatorum. In fine hæc leguntur: In nobili urbe Maguncia, quam imprimendi arte ingeniosa, gratuitoque dono gloriosus deus plus ceteris terrarum nationibus præferens illustrare dignatus est, & non atramento plumali, ereaque penna, cannave, sed ad inventionem quandam perpulcrum, per honorabilem virum Petrum Schoyffer de Gernsheym feliciter est consummatum 1474. cum signeto. 22) Liber elucidarius scripturarum. In fine præfationis hæc leguntur: Arte, quam Deus in fine mundi novam institui voluit, ut sine calamo impressorie libri figerentur. Nurinberge per Frider. Creussner &c. — opus terminatum consummatumque est 1475. adhærent Bernhardi epistolæ sine l. & a. 23) Nicolai Siculi Episc. Panormitani Lectura Panormitana. Venetiis per Nicol. Jenson 1476. III. Tomi, IVtus Nuremberge per Jo. Sensenschmied 1477. ad calcem est signum impressoris duabus figuris, quarum una habet in clypeo duas falces mestorias, transversim positas, alter clypeus exhibet figuram alitis. 24) Astexani de Ast summa de casibus moralibus duob. Tom. sine l. & a., alteri adhæret: fasciculus temporum. In fine hæc sunt: opusculum utique omni statui atque hominum gradui ad vitam exemplandam perutile, continens progressum patrum ab initio mundi usque ad hoc nostrum tempus cum actis notabilioribus eorundem, quod devotus quidam Carthusiensis, ejus autor primus, fasciculum temporum nuncupavit. Impressum per me Conradum de Boemborch meoque signeto notatum &c. sub anno 1476. (figuras passim habet ligno incisas, sed durius elaboratas.

Hæc hactenus, reliqua persequemur alio tempore.

Solennium Sylverstainianorum die 29. April. in Auditorio L. Classis, hora IX. mat. celebrandorum hæc erit ratio. Post orationem a me habitam, ad dicendum prodibunt tres adolescentuli, stipendii Sylverstainiani hucusque alumni, ingenio, moribus & litterarum studiis nobis carissimi & Patronis ob virtutem commendandi

Jo. CHRISTOPHORVS KOTTER, Gorl.
qui propediem in academiam Lipsiens. abiturus Gymnasio va-
ledicet

CAROL. AVG. PAPRITZ, Sagan.

CAROL. GOTTLÖB MATTIG, Sagan.

Quibus solennibus ut *MAGNIFICI & AMPLISSIMI REIP. PATRES GYMNASII PATRONI & RELIQVI OMNIVM ORDINVM FATORES NOSTRI* interesse & illas orationes benigne ve-
lint audire, observantissime humanissimeque rogamus.

P. P. d. 28. April 1785.



Hist. Sax. H. 273 m.

